

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 4

Artikel: Io. Balthasar Burcardi, nunc S. Th. D. et prof. in illustr. Basileens. academia de assensu dissertatio philosophica
Autor: Burcardus, J. Balthasar
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394589>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

JO. BALTHASAR BURCARDI,
Nunc S. TH. D. et PROF. in illustr. Basileens. Academia
 De*
ASSENSU
 Differtatio philosophica.

PRÆFATIO.

Philosophiam in genere omnem, tota
 quanta illa est, pragmaticam esse de-
 bere, neminem negaturum esse exi-
 stimo; Aut si quis sit, qui id in dubium vo-
 care sustineat; velim, is mihi dicat, ad
 quem usum ergo Philosophia Homini addis-
 cenda sit; Duo enim hæc tantum hic locum
 habere quisquis non videt; aut Philosophia
 plane negligenda; aut ad usum aliquem
 addiscenda. Jam vero cum prioris falsitas
 nullo evinci possit negotio, utique usum
 aliquem Philosophiam nobis præstare debere
 patet. Quem autem, quæso, nobis præsta-
 bit usum? An, ut animum tantum ipsius
 cognitio delectet, merisque adeo in specu-
 lationibus consistat; an vero, ut ejus cog-
 nitio

* Hanc Viri Clariss. Differtationem jam olim An.
 MDCCXXXI vacante tunc temporis Cathedra Logica
 Speciminis loco editam quam maxime dignam judicavi-
 mus, quæ huic Musei Helvetici serinio illata ab obli-
 vione vindicetur & omnium, qui quidem Assensum su-
 um sapienter moderari cupiunt, cognitioni exponatur.

J. B.

nitio ad praxin transferatur, atque per omnem Vitam utilitatem nobis exhibeat maximam? Posterius sane unicuique Philosophiæ operam navanti scopum esse præfigendum nullus dubito. Et undenam factum esse existimamus, quod Scholasticorum Doctrina hodie a plerisque, ceu naniis atque inanibus vocibus referta, rejiciatur? Non alia sane de causa, quam quod in notionibus confusis subsistentes, Doctrinam suam ad praxin non transtulere. Equidem non nego; multa in illa continentur inania, multi sine mente Termini, multa obscura atque confusa; Interim tamen non omnia sine discrimine rejicienda essent; habent profecto & Scholastici, quorum, si rite adhibeantur, usus per omnem vitam maximus esse potest; interim cum Scholastici confusis notionibus contenti essent; neque etiam iis in vita communi uti potuerunt, atque ita factum est, ut eorum omnia bona cum quisquiliis sine discrimine rejicerentur. Hæc igitur est ratio; quod ego, vacante Cathedra Logices, specimen illius daturus, Logicam ad praxin transferre, doctrinamque de assensu scientificè pertractare aggressus fuerim. Fateor, ingens erat Argumentorum Copia, cum mihi quoddam ex praxi Logicæ eligendum esset, nihil enim est, ad quod non Logica genuina applicari possit; Testantur id Viri *Illustris Christiani WOLFII* non tantum Horæ, quas vocat, subsecivæ, in quibus Philosophia in genere omnis

mnis ad publicam privatamque aptatur utilitatem; sed & ejusdem Caput Logicæ latinæ peculiare, quo de usu Logices in praxi Vitæ agit; Hoc tamen, quod hic, pro modulo virium mearum, pertractatur thema, summo opere arrisit, non enim tantum illius pertractatio in Philosophia usum habet maximum, sed & in Theologia sua non caret utilitate: Constat enim nonnullos ut Dogma suum; in Conversione Hominis voluntatem prius emendandam esse & Conversionem a Sanctificatione incipere; stabili-
rent, assensum a Voluntate dependere statuisse; hoc vero, cum in Theologia maximi sit momenti, utique dignum est, ut accuratius pensitetur; Aggressus ergo sum hoc Thema, originemque Assensus, præcipuamque de illo doctrinam Dissertatiuncula ista pertractare constitui; atque etiam plectis istis paginis unicuique manifestum fore existimo, quid de ista re sentiendum sit; Cum enim demonstratum esse videat, Assensum omnem successive gigni, opusque adeo esse, ut quis Demonstrationum, tam ostensivarum, quam apagogicarum peritus sit; noxium e contrario esse, si Assensus ab Appetitu dependeat; &c. &c. Facile etiam judicabit, Assensum ab Intellectu dependere, non a Voluntate, Intellectumque hinc prius esse emendandum quam Voluntatem. Voluntas profecto determinatur non nisi per motiva; Quod si ergo aliquem a Vitio quodam deducere velis, ejus Voluntas per motiva
tiva

tiva tibi est flectenda ; Jam vero consistunt
 motiva in repræsentatione boni vel mali,
 adeoque ostendendum est a te, Vitium esse,
 & malum, quod alter tantopere sectatur :
 At quomodo hoc alteri persuadebis, nisi
 motiva tua intelligat; nisi bonum verum ab
 apparente dijudicare possit? At quomodo
 dijudicabit? nisi quis, quid ad sui perfecti-
 onem, vel imperfectionem faciat, probe
 habeat perspectum; Jam vero, qui hoc
 perspectum habere cupit, ejus sane Intel-
 lectus, oportet, ut emendatus sit; oportet,
 ut habeat acumen, & multa rerum pol-
 leat cognitione; estque adeo Intellectus pri-
 or emendandus, quam Voluntas. Pertrac-
 tavi thema methodo demonstrativa atque
 Mathematicorum hic secutus sum mores,
 qui principia primo stabiliunt certa atque
 immota, & ex iis deinde cetera continua
 Syllogismorum serie deducunt: Ratio hujus
 rei potissimum est duplex; prima est, quod
 Methodus ista sit maxime naturalis; altera,
 quod sit certissima: Naturalis est, quoniam
 singulæ Propositiones eo Ordine collocan-
 tur, quo animum demonstrationem concipientis
 subeunt; Certa est, quod nil ibi ad-
 mittatur, nisi quod demonstratum sit; illud
 vero dicitur demonstratum, in quo non tan-
 tum termini, quibus utimur, omnes accu-
 rata definitione explicantur, principia suffi-
 cienter probantur, atque ex iis per legiti-
 mam Consequentiam propositiones dedu-
 cuntur, sed & in illis tum subjectum tum
 præ-

prædicatum accurate determinatur, omniaque tandem ita ordinantur, ut præmittantur ea, per quæ sequentia intelliguntur & adstruuntur. Jam vero, quid tali Methodo certius esse potest? Videbis autem, ut tandem addam, quod mihi tertio est monendum loco, in demonstrationibus ubique Viri illustris *Christiani WOLFII* Scripta citari atque supponi; qua de Causa illud factum sit, paucis enarrabo. Est hæc, qua utor, Methodus Mathematica; Illa vero requirit definitiones accuratas, axiomata certa, postulata indubitata, ex quibus deinde theoremata demonstrantur, & problemata solvuntur; Jam vero, si mihi omnes definitiones, quibus opus habui, adponendæ fuissent; Si omnia axiomata, si theoremata, sine quibus nulla fieri potuit Demonstratio, mihi hic deducenda fuissent, integrum sane scribendum fuisset Volumen, priusquam ad thema propositum accedere liceret; atque hæc est jam Causa, quare ubique in demonstrationibus *Magni Viri* Scripta supponam; Sunt enim demonstrationes, si eas distincte evolvas, ratiocinia continue inter se connexa; in ratiociniis autem opus habemus Præmissis certis & indubitatis, ex quibus certa Conclusio deduci possit; jam vero cum nihil sit certius, nisi quod jam antea demonstratum est, & *Vir Illustris* nihil non in Scriptis suis rigide demonstret; quæso quid impedit, quo minus ex illius Scriptis, ea quæ voluero, supponam ceteraque per ea demonstrarem;

strem ? Et sane , si Tibi semper omnia a primis repetenda sunt Originibus ; si cum aliquid conscribere volueris , primæ rerum definitiones , etsi dudum ab aliis traditæ , aliaque inde consequentia , nunquam non stabilienda sunt , magnum profecto progressui Scientiarum poneretur obstaculum ; Testor hic omnes Historiæ literariæ peritos , an non Mathesis hodie omnium Scientiarum maxime exulta sit ? Unde vero hoc ? Cur Astronomia tantâ cepit incrementa ? Cur Algebra ad tantum , quo nunc eminet , fastigium pervenit ? Cur Philosophia hucusque deserta atque inculta jacuit ? Mathematicorum nempe unus alterius inventis ad alia eruenda usus est , atque ita omnes eodem tramite perrexerunt ; Philosophi e contrario , cum nullus ex iis alterius Scripta supponere potuisset ; Cum Nemo ab altero aliquid accepisse videri voluerit , factum est etiam , ut non posteriores in Scientiis facerent progressus. His igitur rationibus inductus Scripta ista supponere , & ex illis ulterius concludere nullus dubitavi , atque id eo confidentius nunc facio , quod Clarissimos Dominos Competitores in illis multum versatos esse perspiciam ; interim , si quæ sunt , quæ Clarissimi Viri contra supposita excipere velint ; ad ea me pro viribus responsurum esse , promitto ; atque hæc sunt , quæ mihi præfationis loco addenda esse visa sunt ; Tu , Benevole Lector , ea æqui bonique consule.

§. I.

Assentiri dicimur Propositioni alicui, si illam tanquam certam admittimus siue rationibus intrinsecis convicti, siue per rationes extrinsecas ad id commoti & persuasi; Ita fit, ex. gr. ut Discipulus assentiatur Præceptori suo, non tantum in iis, quorum veritatem inspicit, & quorum est convictus; sed etiam in iis, quæ introspicere ipsi non datur, rationibus ad assensum extrinsecis perductus, siue illæ fuerint Autoritas dicentis, siue Amor, quo discipulus in Præceptorem suum fertur, siue aliæ quæcunque causæ.

§. II. Miraberis forsan, quod nullam hic Certitudinis dederim Definitionem, miraberis quod, quid sibi velint rationes extrinsecæ non explicaverim; Hæcne est lex illa constans & perpetua tuæ, quam hic sequeris, Methodi scientificæ aut Mathematicæ? *In Philosophia non utendum esse Terminis, nisi accurata definitione explicatis* §. 116. *Discurs. Præliminar. Log.* Itane, inquires, sequeris Mathematicos, qui nunquam non Terminos definitionem ingredientibus per antecedentia explicant? Fateor vera sunt, quæ mihi narras: At quæso! Nonne tandem subsistendum in terminis nondum explicatis? Nonne in irresolubilibus vocibus hærendum? Quid enim? pone datam esse hic Definitionem Certitudinis, illud nempe Certum esse, quod agnoscimus esse verum; pone explicasse me, quid intelligam per Rationes Extrinsecas & Intrinsecas, quod Intrinsecæ dicantur rationes ex notione subjecti desumptæ; Extrinsecæ vero, quæ aliunde petuntur, nonne eadem semper mihi objicere posses? Nonne denuo

hic conqueri posses , adhiberi terminos nondum explicatos , nescire te , quid sibi velit Verum : quid Notio , quid Subjectum , &c. Imo , si & horum terminorum Definitiones dederim , si Verum in Logicis vocaverim , cum prædicatum quodcunque sive Affirmativum sive Negativum subjecto absolute aut sub data conditione convenit ; si Notionem dixerim esse rerum in mente præsentationem ; Subjectum esse illud , de quo judicatur , & ita porro ; Si inquam & hos terminos omnes definiverim , nonne in definitione eorum occurrent termini nondum explicati ? Nonne vides subsistendum denique esse in vocibus irresolubilibus , quas citra explicationem assumimus , earum notione clara contenti ? Nec hoc tantum : Sane in Mathematicis non est infrequens , ut illi adhibeantur termini , quorum non nisi notionem claram , sed confusam habemus , si nempe illa ad demonstrandum sufficiat : Ita ex. gr. usus est Euclides voce *Æqualitatis* , ut ut ejus non nisi confusam habuerit notionem , sufficiebat enim ipsa ad demonstrationem , ceteræque propositiones , quarum demonstrationem notio ista ingrediebatur , facile istis terminis intellectis concedebantur. Atque ita factum est , ut & nos definitionem Certitudinis , Veritatis &c. non præmiserimus , cum non tantum hic nobis eas supponere liceat , sed & earum notio clara sufficiat.

§. III. Si vero in determinationem Assensus influat Appetitus , tunc dicitur *Assensus ab appetitu pendulus*.

§. IV. *Adpetitum* voco animæ conatum produ-
cendi perceptionem prævisam. Exempla sunt facilia :
Ambulas cum Amico , cum cœli serenitas , aëris-
que

que blandientis jucunditas animo tuo occultam quandam instillat voluptatem ; Crastina dein die memor voluptatis heri perceptæ, eadem ambulatiuncula uti optas, quoniam scilicet prævides te eadem denuo frui posse, estque adeo in mente tua conatus producendi istam perceptionem prævisam, unde voluptas, qua frui desideras, oritur.

§. V. Non opus existimo, ut eadem repeatantur quæ §. 2. diximus ; Sumus hic Perceptionis notione clara contenti, quam etiam quivis, si vel modicam adhibeat attentionem, in se excitare poterit.

§. VI. Inde vero sequitur, quod ille, qui Assensum habet ab appetitu pendulum, amplectatur pro vero quod vult esse verum, §. 3. & 4. Ponamus fama accipere Sempronium, consobrinam ejus vetulam decessisse, omniumque bonorum hæreditatem ipsi esse relictam; assentietur famæ, illamve veram esse existimabit, quia vult esse veram.

§. VII. *Assensus producitur in iis, quæ sensibus percipiuntur.* Quia sensuum beneficio cognoscimus, quæ in mundo isto materiali sunt atque fiunt, §. 1. *Discurs. Prælim. Log.* Illa etiam nobis observare licet §. 67. *Cosmol.* Si vero observamus subjecto aliquid convenire, propositio nobis est certa §. 567. *Log.* Assensus itaque producitur in iis quæ sensibus percipiuntur, §. 1.

Ex. gr. Observare nobis licet Solem oriri & occidere, manum igni admotam calefieri, hinc cognoscimus certum esse, Solem oriri & occidere, manum igni admotam calefieri; atque hæc est causa, quod illis propositionibus assentiamur.

§. VIII. *Affensus producitur in iis, quorum nobis in mente sumus conscii.* Ea quorum nobis in mente sumus conscii, etiam nobis repræsentare valemus, adeoque eorum habemus notiones, §. 34. Log. Illa vero, quorum notiones habemus, sunt conceptibilia, §. 522. Log. adeoque vera §. 528. Log. & per consequens certa, §. 564. Log. Sequitur ergo, quod Affensus producat in iis, quorum nobis in mente sumus conscii.

Sit nobis Exempli loco res ubivis obvia: Est sibi homo in mente sua conscius, quod nunc lætetur, alio vero tempore tristitia afficiatur; Hanc quam nunc sentit, aut alio tempore sensit, tristitiam valet sibi repræsentare, atque adeo ejus notionem habet, cum vero illa dicantur conceptibilia, quorum nobis licet formare notionem, sane & lætitia atque tristitia, quæ subinde animo nostro obversantur, conceptibiles sunt; Quod si autem propositio ista: Tristitia mens perturbatur, mox vero lætitia afficitur, conceptibilis est, eo ipso etiam est vera; Si vero agnoscis eam esse veram, etiam est certa; Si est certa, ei assentiris, §. I.

§. IX. *Affensus producitur in iis quæ demonstrata agnoscimus.* Scimus etenim, quod, si quæ demonstrata esse agnoscimus, ea etiam demonstrare valeamus, minimum duce Autore, qui demonstrationem dedit. Enim vero, si prædicatum subjecto convenire, sive directe sive indirecte demonstrare valemus, propositio nobis certa est §. 568. Log: Affensus itaque producitur in iis, quæ demonstrata esse agnoscimus. §. I.

Ita ex. gr. dico, quod Affensus producat, cum a Mathematicis Archimedis theorema: *Sphæra est ad Cylindrum æqualis altitudinis & baseos uti numerus binarius ad ternarium*, demonstratum esse perspicias,
hoc

hoc est, dum vides illud deductum esse ex definitionibus certis, quippe realibus Sphærae, Cylindri, radii, conii &c. ex axiomatibus indubitatis, *radii unius ejusdemque circuli sunt inter se æquales, quantitates quæ habent ad æqualia eandem rationem, sunt inter se æquales &c.* Ex propositionibus antea demonstratis, *Omnes circuli sunt inter se, uti quadrata diametrorum suorum; Si in aliquo triangulo linea quædam recta ducatur cum basi istius trianguli Parallela, ista linea secat latera istius trianguli proportionaliter &c.* Quam primum enim perpendis ex veris hisce atque certis definitionibus, axiomatibus, & propositionibus jam antea demonstratis, hoc Archimedis theorema deductum esse, ei etiam assentiris, illudque adeo tanquam certum admittis. Est vero omnis demonstratio duplex, Ostensiva & Apogogica, sive directa & indirecta; Agedum ergo, dispiciamus de utraque demonstrationis specie, & primo quidem id agemus, ut Assensum produci tum in demonstrationibus Ostensivis, tum etiam Apogogicis demonstremus, postea vero de Genesi Assensus, qua ratione sensim sensimque nascatur, quando sit certus, quando probabilis, paulo distinctius dicemus.

§. X. Demonstratio ostensiva est, qua ex notione subjecti colligitur convenire prædicatum, §. 549. Log.

§. XI. In Demonstratione Ostensiva, si prædicatum subjecto absolute tribuitur, Primo formamus, vel ex integra definitione, vel ex parte definitionis propositionem; Secundo, si axiomata propositionesque jam antea demonstratæ prostant, iisdem utimur; ut sint in Syllogismo Minoris loco: Tertio quod si jam habeas Minorem propositionem, necesse est, ut memoria tibi suggerat aliam quandam propositionem, termi-

num communem cum minore habentem , quæ tibi sit Majoris loco , & sic tandem facile ex duabus præmissis conclusionem inferre poteris §. 551. Log.

§. XII. *Assensus producitur in iis propositionibus, quæ ex integra definitione , vel ex ejus partibus formantur.* Sunt enim propositiones istæ tam in casu priori §. 214. Log. quam posteriore identicæ §. 268. 270. Log. adeoque dubium nullum nobis esse potest , prædicatum subjecto convenire §. 213. Log. consequenter propositiones istas esse veras §. 505. Log. sunt igitur nobis certæ §. 564. Log. adeoque Assensus in iis producitur. §. 1.

§. XIII. *Assensus producitur in Axiomatibus , & Propositionibus , jam antea demonstratis , si demonstrationis antea jam intellectæ memoriam habemus.* Etenim axiomata certa sunt , §. 572. Log. Quare si perspicimus propositiones datas in Axiomatum numero esse , assensus in iis producitur §. 1. *quod erat unum.* Si propositione antea demonstrata utimur , & demonstrationis ejusdem a nobis expectatæ meminimus , eam demonstratam esse agnoscimus , quare cum Assensus producat in iis , quæ demonstrata esse agnoscimus §. 9. evidens est , Assensum quoque produci in propositionibus jam antea demonstratis , ubi demonstrationum earundem memoriam habemus §. 1. *quod erat alterum.*


§. XIV. Quoniam conclusio infertur ex duabus præmissis §. 335. Log. Ex duabus autem præmissis vera sequatur conclusio §. 537. Log. Evidens quoque est , quod cum veram esse conclusionem perspiciamus , & illa certa evadat , Assensusque adeo illa producat §. 1.

§. XV.

§. XV. In demonstratione Ostensiva, si prædicatum non nisi sub data conditione subjecto tribuitur, tunc utimur hypothese, & ex illa formantur judicia intuitiva, quibus deinde in Syllogismis Minoris loco utimur, atque ita Syllogismorum concatenationem absolvere licet.

Patent hæc ex ipsa demonstrationum indole, & per exempla manifesta plane evadunt. Utar hic exemplo ex Geometria desumpto, cum enim figuræ Mathematicæ sensibus expositæ sint, exempla illa majorem quandam claritatem habent, quam cetera, quæ ex disciplinis Philosophicis, aut aliunde petuntur. Si ex Geometria demonstranda esset sequens propositio: *Si arcus duarum chordarum sunt inter se æquales, ipsæ etiam chordæ sibi invicem sunt æquales*, nonne judicia tibi ex hypothese formanda sunt intuitiva, quæ in Syllogismorum concatenatione Minoris vicem subibunt? Ut hoc clari-

us perspicias, resolvatur propositio data in Hypothesin & Thesin. Hypothesis est; quod arcus A B sit æquales arcui D E; thesis est, quod inde sequatur chordam A B esse æqualem chordæ D E. Attende nunc ad hypothesein, seu ea



quæ sumuntur, & judicia forma intuitiva. Vides punctum C esse centrum circuli, vides lineas A C & D C esse rectas, ductas ex centro circuli ad

peripheriam; Hæc judicia tibi sint minoris loco in Syllogismo, majorem exhibebit definitio, aut axioma, aut propositio quædam jam antea demonstrata, quæque terminum communem cum judicio nostro intuitivo habet. Hic erit loco Majoris definitio radii: Radius est linea recta ducta ex centro circuli ad peripheriam, ita igitur argumentor: Omnis recta ex centro circuli ad peripheriam ducta est radius, lineæ A C & D C sunt lineæ rectæ, ductæ ex centro ad Peripheriam, ergo A C & D C sunt radii circuli. Habes jam Syllogismum in demonstratione primum; Ejus conclusio erit tibi minor in sequenti Syllogismo, major vero axioma quoddam, quod cum Minore terminum communem habet atque adeo in ratiocinando pergis. Omnes radii unius ejusdemque circuli sunt inter se æquales: A C & D C sunt radii unius ejusdem circuli: Ergo sunt inter se æquales. Similiter vides C B & C E esse lineas rectas, ductas ex centro circuli ad peripheriam, inde eodem, quo ante modo, concludis, esse radios unius ejusdem circuli; Et deinde ulterius C B esse æqualem C E. Pergis in consideranda hypothesi, atque judiciis inde formandis intuitivis, & deprehendis, arcum A B descriptum esse ex vertice anguli α intra ipsius crura A C & B C. Memoriam tum subit. *Omnis arcus descriptus ex vertice anguli intra ipsius crura, est mensura anguli*, hoc est Majoris loco, judicium vero intuitivum Minoris, atque ita sequentem conficis Syllogismum. Omnis arcus descriptus ex vertice anguli intra ipsius crura, est mensura ipsius anguli, Arcus A B descriptus est ex vertice anguli α . Eodem modo inferas, arcum
D E

D E esse mensuram anguli y . Illatas jam hasce conclusiones, si inter se conferas, inde hoc formabis iudicium quasi intuitivum: Anguli x & y æquales habent mensuras; Assumpto hoc iudicio intuitivo, ut minoris vicem tueatur, & propositione quadam jam antea demonstrata, ut major sit, sequentem formas Syllogismum: Omnes anguli, qui eandem habent mensuram, sunt inter se æquales, anguli x & y habent eandem mensuram, ergo sunt inter se æquales. Attendens porro ad hanc Conclusionem, cum antecedentibus, denuo tibi inde iudicium quoddam quasi intuitivum formas; Vides triangula A C B & D C E ejus conditionis esse, ut Angulus unius trianguli x , sit æqualis angulo alterius trianguli y , & duo latera comprehendunt hunc angulum in uno triangulo, sunt sigillatim æqualia duobus lateribus comprehendentibus angulum alterum, in altero triangulo; Hoc iudicio formato memoriam porro subit, theorema quoddam a Geometris demonstratum, hujus tenoris: *Si in duobus triangulis angulus unus unius trianguli est æqualis angulo uni alterius trianguli, & duo latera comprehendunt angulum unius trianguli, sunt sigillatim æqualia duobus lateribus comprehendentibus alterum angulum in altero triangulo, etiam latus tertium unius, est æquale, lateri tertio alterius trianguli;* sumto hoc theoremate, ut præmissarum sit Major, & iudicio intuitivo, ut Minor sit, per legitimam consequentiam infer: Ergo chorda A B est æqualis chordæ D E.

§. XVI. *Assensus producitur in iis propositionibus, quæ formantur ex hypothese, in demonstratione ostensiva.* Hypotheses enim propositionum sumimus,

quod eas esse possibles, jam certi sumus, adeoque iisdem assentimur, vel eas tanquam possibles supponimus; In priori casu judicia formata æquivalent intuitivis, quæ observatione constant, consequenter in iis assensus producitur § 7. In casu posteriore certi sumus, nos ea tanquam possibilia sumere, adeoque iisdem assentimur, tanquam a nobis arbitrario assumtis §. I. visurinum per demonstrationem ostendi possit impossibilitas.

§. XVII. *Assensus producitur in demonstrationibus ostensivis.* Etenim in demonstrationibus ostensivis, prædicatum subjecto, aut absolute tribuitur, aut tantummodo sub certa quadam conditione. Si prius, tunc demonstratio deducitur tum ex integra definitione, tum ex ejus partibus; ex axiomatibus; ex experienciis indubitatis, & tandem ex propositionibus jam antea demonstratis §. II. Si vero posterius: Tum quidem ostensivæ demonstrationes ex hypothesebus deducuntur §. 15. Jam vero Assensus producitur in omnibus istis propositionibus; sive illæ ex integra definitione, sive ex ejus partibus fuerint deductæ §. 12. sive ex axiomatibus & propositionibus jam antea demonstratis §. 13. sive ex hypothese data §. 16. adeoque in omnibus iis, quæ ad demonstrationem ostensivam requiruntur, assensus producitur §. 342. Ontol.

§. XVIII. Demonstratio Apogogica sive Indirecta est, qua posito contrario ejus, quod probari debet, tanquam vero colligitur, quod propositioni veræ, vel notioni subjecti contradicat.

Dedit hanc definitionem & demonstrationis ostensivæ §. 10. prolatam, Summus Philosophus CHRISTIANUS

NUS WOLFIUS in opere Logico Latino, atque eas hic verbotenus apponere nullus dubitavi, non tantum quod illæ omnium sint optimæ, sed etiam, quod non existimem, cum definitiones rerum quarundam inventæ, & verbis propriis expressæ jam fuerint, aliis semper verbis, novoque indumento, ut pro suis venditari possint, palliandas esse.

§. XIX. Quia in demonstratione Apogogica, posito contrario ejus, quod probari debet, tanquam vero, colligitur, quod propositioni veræ, vel notioni subjecti contradicat §. 18. propositionem ad impossibile reducturus, sumit ei contrariam, tanquam veram, eaque utitur ceu definitione vel hypothese in Demonstratione Ostensiva §. 551. & 552. Log. Aut etiam sibi judicia format Intuitiva, ex propositione contraria tanquam vera assumpta, atque ita eodem modo, quo in demonstratione ostensiva, Syllogismorum concatenatio continuatur; donec tandem appareat contradicere, vel propositioni veræ, vel notioni subjecti §. 553. Log.

Sunt hæc unicuique obvia, dummodo ad exempla in Geometria attendere velit; Ita enim demonstratur; Quod duo circuli sese mutuo intus tangentes non habeant idem centrum, aut quod duo semicirculi, sese tantum in *unico puncto secare* possint &c. sed non tantum in Mathesi hoc genus demonstrationum obtinet; sane in omnibus partibus Philosophiæ, Logica, Ontologia, Philosophia Morali, Politica, aliisque disciplinis, demonstrationis Apogogicæ usus est frequentissimus. Dabo ut res clarior evadat, exemplum: Sit nobis ex Ontologia sequens propositio demonstranda:

Ad Actualitatem Entis alicujus aliquid requiritur amplius præter possibilitatem; Demonstratio erit sequentem in modum instituenda; Aut præter possibilitatem

nil

nil requiritur amplius, ut Ens existat, aut adhuc aliud quid. Ponatur jam contrarium ejus, quod demonstrari debet, & ex illo, tanquam vero assumpto, colligatur, repugnare propositioni cuidam veræ, aut prædicatum subjecto non convenire. Ponatur inquam plane nil requiri ad actualitatem rei præter possibilitatem. Ex hac hypothesi nobis jam formandum est judicium intuitivum: Possibilitas sufficit ad rei existentiam; Hinc vero statim memoriam subit Principium illud *Rationis*, uti dicitur, *Sufficientis* §. 70. Ontol. quo tanquam propositione Majore assumpto, Minore vero judicio Intuitivo, per conclusionem infero; Quod Ens existat ideo, quia possibilitas est Ratio sufficiens ad existendum. Conclusionem hanc sumo tanquam minorem, & succurrit propositio §. 118. Ontol. quæ Majoris locum tuetur; Posita ratione sufficiente ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est; Unde colligitur; Posita possibilitate Entis, ponitur etiam ejus existentia; hæc vero conclusio contradicit propositionibus jam antea demonstratis; Hinc est evidens, falsam esse hypothesin nostram assumptam, consequenter aliud præter possibilitatem requiri, ut Ens existat.

§. XX. *Affensus producitur in iis, quæ Apogogice demonstrata sunt.* Etenim in demonstrationibus Apogogicis, assumimus contrarium ejus, quod probari debet, & ex eo, tanquam vero colligitur, quod propositioni cuidam veræ, aut alii jam ante demonstratæ repugnet §. 19. Cum vero contrarium ipsius propositionis, quæ demonstranda est, tanquam verum admittam; inde judicia intuitiva mihi formo, ut in demonstrationibus ostensivis §. 11. At in istis judiciis intuitivis producitur Affensus §. 12. Ergo & in Demonstratione Apogogica, quæ oritur ex judiciis intuitivis, Affensus producitur; Porro,
cum

cum concatenatio Syllogismorum eodem modo procedat, quo in demonstrationibus ostensivis §. 19. Assensus vero producat in demonstrationibus ostensivis §. 17. etiam in omnibus istis, quæ ad Demonstrationem Apogogicam requiruntur, Assensus producat; Verum est ergo, quod etiam in iis, quæ Apogogice demonstrata sunt, Assensus producat §. 342. Ontol.

§. XXI. Demonstravimus hætenus, Assensum produci, tum a posteriori, tum a priori, & ex sequentibus apparebit, quanti momenti hæc de Genesi Assensus Doctrina sit, per omnem vitam, & quantum nobis illius accurata pensatio prodesse possit; Est igitur nobis, hic de ista Assensus Genesi, paulo distinctius agendum, & primo quidem explicandum; quomodo Assensus noster oriatur; quomodo unus in altero fundetur; quomodo Assensus noster certus atque firmus evadat; unde nobis constet, an Assensum habeamus certum, nec ne; Hæc inquam, & multa alia huc pertinentia, hic a nobis paulo fusius exponenda erunt; Cum autem analytice hic procedamus, nilque nisi demonstrata supponere velimus, hic sane nobis ad primam Assensus originem descendendum est. Homo præditus est Anima intelligente, & multa continuo experitur atque observat; Talem vero etiam Animæ humanæ vim inesse deprehendit, ut objectum aliquod qualecunque ita sibi repræsentare valeat, quo notione illius clariore potiatur, quam alius, quod menti nostræ simul repræsentatur, Objecti; ut scilicet sibi magis conscius sit, se hoc objectum jam percipere, quam aliud quod simul percipiat; Vis ista Attentio dicitur; Hæc attentione homo,
cum

cum ad objectum quoddam fertur, primo omnia alia quæ in objecto diversa occurrunt, distinguere debet, hacque ratione primo claram, deinde distinctam, completam, & tandem adæquatam acquirit objecti notionem. Quod si jam hominem quandam distincte sibi repræsentare possit, illam mentis vim, qua id efficit, Intellectum dicimus, illeque rem intelligere dici potest, quid de ea distinctam habet notionem. Efficit vero Intellectus in anima nostra, ut, cum res distincte nobis repræsentamus, eas quoque ad diversas species atque genera referamus; Nempe, cum plures res atque objecta habemus, unum quodque eorum est Ens omnimode determinatum, & Individuum a Logicis vocari solet. Hanc omnimodam determinationem si tollas, atque ea tantum consideres, in quibus entia ista inter se conveniunt; ea vero omittas, per quæ alias a se invicem discerni deberent; tunc quidem species nascuntur; Quod, si porro ea omittas, quæ in speciebus entium diversa occurrunt, eaque tantummodo tibi representes, quæ speciebus istis communia sunt; Genus rerum habebis. Porro, si constitutas rerum species atque genera inter se conferimus, earum proprietates atque modificationes consideramus, inde porro intelligimus, an objectum quoddam obvium, hujus sit classis vel alterius, an sub genere isto vel sub alio contineatur, hacque ratione ille mentis actus oritur, quem Judicium appellamus. Cum itaque Judicium quoddam fero; observo etiam, an prædicatum quoddam conveniat subjecto vel non; Quod, si observo, subjecto prædicatum convenire, vel non convenire, propositio mihi certa

certa evadit; atque tum quidem, cum eam certam esse agnosco, aut saltem pro tali admitto, Assensus in me oritur. Hæc ergo est Assensus nostri prima origo, si sit simplicissimus; At Assensus noster simplex non manet, sed fere nunquam non ex multis aliis componitur, unusque Assensus in plures anteriores resolvi debet; Age ergo; inquiramus nunc ulterius, qui fiat, ut Assensus noster compositus evadat, qui fiat, ut ab uno ad alterum progredi possimus; Hac enim ratione apparebit, quomodo Assensus tuus sensim sensimque majora in se complectatur. Opus vero hic primo est, ut rerum definitiones perspectas habeamus; Videamus ergo quomodo in illis Assensus nascatur.

§. XXII. *Si instituaturs Analysis definitionum sequentium in antecedentes, & reductio terminorum primitivorum, qui absque definitione sumuntur, ad intuitum rei præsentis, Assensus generatur in definitionibus.* Termini denotant res, quarum notionem habemus §. 37. Log. Adeoque terminos primitivos nobis in mente repræsentare possumus §. 34. Log. Hinc sibi mens eorum est conscia §. 31. Log. Assensus adeo generatur in definitionibus, instituta reductione terminorum primitivorum ad intuitum rei præsentis §. 8. *quod erat unum.*

Secundo; Quia termini, qui ingrediuntur definitiones sequentes explicari debent per antecedentes §. 119. Discurs. Prælim. Log. Assensus vero generatur in definitionibus antecedentibus, per partem primam; Ergo etiam Assensus generatur in nobis instituta Analyfi definitionum consequentium in Antecedentes, *quod erat alterum.*


Ex.

Ex. gr. Si Assensus in te oriri deberet quod propositio ista: Hi quatuor numeri $5 : 20 = 10 : 40$. Proportionem constituent Geometricam, nonne necessarium est, ut proportionis Geometricæ definitionem in anteriores resolvas; donec ad terminos pervenias, qui absque explicatione assumuntur, primitivos? En definitionem proportionis Geometricæ: Proportio Geometrica est identitas duarum rationum Geometricarum; Hanc audiens; quid in te excitatur? An Assensus? Nondum; Opus primo est, ut hanc definitionem in priores alias resolvas; adeoque rationum Geometricarum definitionem perspectam habeas: Ratio Geometrica est, relatio duorum numerorum ad se invicem, secundum multiplicationem & divisionem, Opus est etiam, ut definitio tibi Identitatis rationum sit in promptu; Rationes similes dicuntur, quarum Exponentes sunt iidem. Quid nunc? Oritur assensus in te: Quatuor numeros supra memoratos proportionem Geometricam constituere? Nondum; quare? Quia definitio rationis Geometricæ resolvenda est in alias; Sciendum est, quid multiplicatio sit; quid divisio; quod si sciveris, Multiplicationem esse inventionem alicujus numeri, ex duobus aut pluribus numeris datis, qui unum datorum toties in se continet, quoties alter in se continet unitates; Divisionem vero, inventionem esse numeri cujusdam, qui mihi indicat; quoties unus datorum in altero contineatur, si inquam, horum terminorum definitiones scias; prætereaque numerum, quod sit multitudo unitatum, concipias; Nonne nunc tandem in te nascitur Assensus, quod quatuor numeri propositi proportionem efficiant Geometricam? Imo vero; At unde hoc? Quia definitionem proportionis in rationis definitionem, & rationis in multiplicationis, & divisionis, & porro in numeri definitionem resolveras, adeoque veritas propositionis nostræ, quod Assensus oriatur in definitionibus, si sequentes in anteriores resolvantur, vel ex hoc exemplo patet.

§. XXIII. *Si principiis, quibus utimur in demonstrationibus antecedentibus Assensum præbueris, Assensus gignitur per ea, in demonstrationibus consequentibus.* In demonstratione propositionum consequentium utimur Definitionibus, Axiomatibus, Experiētiis indubitatis, & Propositionibus ex illis demonstratis §. 562. Log. Hisce vero omnibus assensum præbuimus §. 12. 13. 16. 22. Consequenter gignitur Assensus per ea, in demonstrationibus consequentibus:

Res sua sponte elucet per exempla; Habes hic Theorema Trigonometrico-Sphæricum, quod *omnis circulus transiens per polos alterius circuli in superficie Sphære, ad alterum circulum, cujus polos transit, sit perpendicularis, videamus nunc, quomodo Assensus huic Theoremati præbendus nascatur.* Primo scis, quid vocentur poli; Polus est punctum in superficie Sphære assumptum, a quo omnia puncta Peripheriæ alicujus circuli in superficie Sphære descripti, undiquaque æqualiter distant; Est hæc definitio nominalis Poli, quam cum habeas perspectam, vides A esse polum circuli E F D G in superficie Sphære A E B D descripti; Assentiris porro judicio, quod formas, intuitivo; Arcus A H & A I descriptos esse e polo, & terminari utrinque in Peripheria circuli E F D G. Hoc judicio intuitivo, cum axioma illud Trigonometrico Sphæricum: *Omnes arcus descripti, ex polo alicujus circuli in superficie Sphære, & terminati in intersectione puncti diametri Sphære, sunt inter se æquales, in memoriam vocetur, etiam assentiris, quod Arcus A I sit æqualis Arcui A H; Quid nunc? Assentiris judicio, quod denuo formas intuitivo, Lineas A H*

& A I esse chordas Arcuum A H & A I, atque inde porro, cum memoria tibi suggerat ante



demonstratam in Geometria propositionem, *Chordæ equalium Arcuum sunt inter se æquales*, etiam assentiris sequenti propositioni; Chorda A H est æqualis chordæ A I. Redis hic ad Judicia intuitiva formanda, & assentiris isti Judicio, quod C H & C I sint radii unius ejusdemque circuli; Inde porro illi Axiomati; Quod radii unius ejusdemque circuli inter se sint æquales; adeoque C H æqualem esse lineæ C I; Porro, & huic Assensum præbes axiomati: Unamquamque quantitatem sibi metipsi esse æqualem, & inde forma-

tæ propositioni ; Quod linea A C æqualis sit lineæ A C. Cum modo dictis definitionibus, Axiomatibus, Propositionibusque inde demonstratis, Assensum tuum dederis, etiam eundem huic, quod nunc formabis, iudicio intuitivo denegare haud poteris ; Triangulum A H C & Triangulum A I C esse duo Triangula ejus conditionis, ut tria latera unius, sint æqualia tribus lateribus alterius trianguli : Hoc iudicium cum formatum est, simul subit memoriam Theorema ex Geometricis familiare ; Quod Triangula hujus conditionis sibi invicem sint æqualia, omnesque Anguli unius Trianguli sint sigillatim æquales omnibus Angulis oppositis alterius Trianguli ; adeoque jam huic propositioni assentiris, quod Angulus A C H sit æqualis Angulo A C I : Si huic propositioni assensum das, prætereaque ex Geometria scias, omnem lineam, quæ utrinque Angulos æquales constituit, esse perpendicularem ad alteram ; porro assentiri teneris, lineam A C esse ad H I perpendicularem, cum vero jam supra assensus fueris Axiomati trigonometrico - sphærico ; Quod omnes Arcus descripti ex polo alicujus circuli, in superficie Sphæræ, & terminati in intersectione puncti diametri Sphæræ, sint inter se æquales, etiam hic assentiendum erit porro, quod Arcus E G sit æqualis Arcui G D ; Atque deinde porro vi theorematis supra citati ; quod chorda E G sit æqualis chordæ G D, & cum assensus fueris axiomati supra citato ; Omnes radii unius ejusdemque circuli sunt inter se æquales, videasque E C & C D esse radios unius ejusdemque circuli ; etiam in ista propositione assensus tuus nascitur ; quod linea E C æqua-

lis sit lineæ C D. Cumque deinde scias, unamquamque quantitatem sibimetipsi æqualem esse, etiam G C æqualem habebis G C; Atque formato nunc iudicio intuitivo, vides te habere duo Triangula E C G & D C G ejus conditionis; ut omnia tria latera unius Trianguli sint sigillatim æqualia omnibus tribus lateribus alterius Trianguli; Quid inde? vocans in memoriam geometricum theorema; Omnia Triangula hujus conditionis sibi invicem sunt æqualia, & omnes Anguli unius Trianguli sunt sigillatim æquales omnibus Angulis alterius Trianguli; assentieris, quod Angulus G C E sit æqualis Angulo G C D. Ex hoc Assensu nascitur tibi alius, quod vi principii Geometrici, omnis illa linea, quæ utrinque efficit Angulos æquales, sit perpendicularis, adeoque G C perpendicularis sit ad E D. Quod si adeo assensum dederis A C esse perpendicularem ad H I & G C esse perpendicularem ad E D, per immediatam consequentiam colligis, circulum A D B E esse perpendicularem ad circulum E G D F, videsque adeo, qua ratione fiat, ut, dum principiis, quibus utimur in demonstratione, assensi fuerimus, etiam propositionibus inde demonstratis assentiamur.

§. XXIV. *Si cognoscimus probabilitatem principiorum, quæ probationem probabilem ingrediuntur, Assensus gignitur in propositione probabili.* Quia probatio probabilis a demonstratione non differt, nisi Principiis §. 588. Log. Quæ sunt definitiones, axiomata & experientiæ indubitatae §. 498. Log. Atque in demonstratione etiam assensus gignatur §. 17. & 20. Probatio vero probabilis sit, si Syllogismos concatenatos ingrediuntur Præmissæ pro-

probabiles §. 587. Log. Eas autem cognoscamus per hypothefin ; Sequitur , quod affensus gignatur in propositione probabili.

○ Occurrunt hujus rei multa in Astronomia præprimis exempla. Cum JOHANNES FABRICIUS Anno 1610 primus Maculas solares observasset, observationesque suas, in *Narratione de Maculis in Sole observatis, & apparente earum cum Sole conversione* Wittenbergæ 1611 publici fecisset juris; Omnes statim Astronomi, veluti Galilæus, & Christophorus Scheinerus Aliique, quid huic rei subfit, sedulo inquisiverunt. Observabant itaque omnes, certum esse, dari Maculas in Sole: At, unde illæ, quid essent, cujusque usus, nondum inter ipsos conveniebāt. Collegerunt tandem ex duobus argumentis, ex Parallaxi, scilicet, quam nullam admittunt, & ex motu regulari Macularum, quem observant, quod vel Soli insint, vel ei saltem admodum vicinæ sint. En hic primam propositionem probabilem: *Maculæ Solis ipsi sunt admodum vicinæ*: Postea, cum observarent, eas Figuras habere irregulares, alias esse majores, alias minores; subinde in medio densiores, in perimetro vero rariores; Coalescere nonnunquam plures in unam, aliquando vero scindi unam in plures alias, quæ omnia phænomena sunt, quæ in Tellure nostra de Nubibus cæli observamus; adhibita prima probabili propositione: Quod Soli admodum sint vicinæ, collegerunt denuo, admodum probabiliter; esse Nubes Solis, quæ, uti Nubes circa Tellurem, ex exhalationibus constant, &c. Adeoque, cum probabilitatem principiorum Astronomi agnovissent, maculas Soli esse vicinas, atque esse Nubes Solis, quæ subinde dissolvuntur, atque in Solem redeunt, Affensum etiam dedere, huic propositioni probabili: Solem non esse Ignem purum; neque etiam ex materia homogenea constare; sed ex opaca, quæ cum Terra nostra convenit; quodque excrementa habeat, uti ignis noster fuliginem.

§. XXV. *Si Assensum præbueris propositionibus probabilibus antecedentibus, quibus in probatione probabili sequentium utimur, Assensus gignitur in probationibus probabilibus consequentibus.* Quoniam in Probatione probabili utimur syllogismis, quos ingrediuntur Præmissæ probabiles §. 586. Log. Et illæ Præmissæ, vi hypotheseos, probabiles sint; etiam, quia in propositionibus Probabilibus antecedentibus Assensus gignitur §. 24. generatur in consequentibus.

§. XXVI. *Assensus alicui propositioni dandus resolvitur in multos anteriores; & anteriores porro in alios ipsis priores, donec ad prima pervenias principia sine probatione admittenda.* Quoniam Assensum præbuimus demonstrationibus antecedentibus, etiam eundem damus demonstrationibus consequentibus §. 23. Et, quoniam probationibus probabilibus antecedentibus assensi sumus, etiam consequentibus assentimur §. 25. adeoque est evidens; Assensum alicui propositioni dandum, in Assensus anteriores resolvi; *quod erat unum.*

Porro; Quoniam Assensus demum gignitur, in propositionibus prioribus, perspectis Definitionibus, Experienciis indubitatis, & Axiomatibus. §. 17. Et in propositionibus prioribus probabilibus, si probabilitatem principiorum, probationem probabilem ingredientium, cognoscimus, §. 24. manifestum est, quod Assensus anteriores resolvantur in alios ipsis priores, donec ita tandem ad principia sine probatione admittenda pervenias. *Quod erat alterum.*

§. XXVII. *Assensus itaque veritati, propositionis demonstratæ, aut probabiliter evictæ, non in instanti nascitur,*

scitur, sed successive. Cum enim in Axiomatibus Assensus gignatur, perspectis definitionibus §. 13. Et in demonstrationibus, quæ inde deducuntur, §. 17. Et in Propositionibus demonstrandis consequentibus, si Assensum præbueris antecedentibus, §. 23. Adeoque Assensus propositioni alicui dandus in multos anteriores resolvatur §. 26. patet inde Assensum, non in instanti nasci, sed successive.

Docuit hoc luculenter satis *Illustris Philosophus; CHRISTIANUS WOLFIUS*, in Opere Logico latino, §. 992. cum enim ibi de modo alios convincendi ageret, inter alia & modum detegendi principia convincendo tanquam nota supponenda explicat, explicationemque suam prolixo admodum exemplo confirmat; Docuit enim ibidem, Assensum propositioni, *de eliminatione superfluum ex definitionibus*, præbendum præsupponere Assensus centum & triginta, quorum unusquisque menti ingenerari debet, antequam ipse in eadem nascatur; Atque, ut verum fatear, magni est hæc res momenti, dignaque præprimis, ut attendatur: Dicam autem de Argumenti hujus præstantia atque usu in sequentibus; hic dixisse mihi sufficiat, illos animum huc advertere debere, qui certam rerum cognitionem adeo facilem sibi somniant ut eidem comparandæ lectionem vel fugitivo factam oculo sufficere sibi persuadeant; Sane, ut rem exemplo illustrem, quot sunt, qui facillimam credunt esse Demonstrationem de Dei existentia? quot sunt? qui totam rem unico aut duobus ratiociniis confectam esse autumant; At evolve hic Metaphysicam, quam *Illustris WOLFIUS* Germanico edidit idiomate, invenies, antequam certus esse possis Deum existere, propositionique ipsi assentiri; multa tibi ex Philosophia Prima, multa ex Cosmologia, multa ex Psychologia, multa denique ex Theologia naturali, perspecta atque familiaria esse debere, nisi enim §. I. 10.

11. 12. 14. 16. 17. 18. 21. 22. 24. 26. 28. 29. 30. 32.
 33. 34. 35. 36. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47.
 50. 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 65.
 66. 68. 71. 72. 73. 75. 76. 81. 82. 94. 102. 104. 106.
 107. 111. 114. 115. 117. 118. 119. 121. 122. 125. 126.
 127. 132. 133. 134. 152. 154. 165. 166. 172. 175. 192.
 194. 214. 217. 219. 220. 249. 346. 369. 543. 544. 545.
 546. 547. 548. 549. 550. 551. 552. 554. 555. 556. 565.
 --569. 571. 576. 582. 584. 585. 586. 593. 594. 595. 596.
 602. 603. 604. 605. 606. 607. 614. 615. 620. 621.
 622. 623. 628. 667. 733. 734. 735. 738. 739. 741.
 742. 744. 745. 753. 754. 755. 756. 928. 929. 930.
 931. 935. 936. 939. 943. & 945. hos, inquam para-
 graphos omnes & singulos, nisi unusquisque in nume-
 rato habeat, non certus esse potest per argumentum,
 a Contingentia Mundi more *Wolfiano* adstructa, de-
 sumtum de Dei existentia, aut, si vel unica tantum de-
 finitio, aut axioma, aut propositio me fugeret, ne-
 que etiam veritatem existentiae Dei agnoscere possem;
 Nec hoc tantum; Opus hic praeterea est, ut in Logi-
 cis haud sis hospes, ut genuinam formam Definitio-
 num, Axiomatum, demonstrationumque inspicias;
 Hoc si addas cognitioni paragraphorum Metaphysices
 modo citatorum, tum demum cum veritate dicere
 poteris, Te certo huic propositioni; *Deus existit*,
 assentiri. Patet igitur ex hoc exemplo, Assensum no-
 strum non in instanti, sed successive gigni.

§. XXVIII. Est vero utilitas doctrinae de
 Genesi Assensus insignis admodum; Etsi enim
 ad distinctam de Genesi Assensus notionem vulgo
 non attendatur, quin ea tamen maximi sit mo-
 menti, nemo dubitare poterit. Unde enim
 quaeso, quod in subsequentiis demonstrabitur,
 pendet Convictio omnis, undenam scis, Assen-
 sum tuum esse certum? Opus sane est, ut di-
 stincte cognoscas, quomodo Assensus tuus sensim
 sen-

sensimque ortus fuerit; opus est, ut perspectum habeas, quomodo a definitionibus ad axiomata, ab axiomatibus ad propositiones alias, & ab istis propositionibus denuo ad superiores, atque ita usque ad Thesin tuam ascenderis; Hæc nisi distincte cognoscas, actum est de omni Convictione, actum est in Scientiis de omni Certitudine. At quis est, qui nesciat, quantum intersit Homini, ut se vere convictum esse tuto credere possit; Non jam hic mihi sermo erit de iis, quæ ex Theologia revelata constant; Ea enim hic in Philosophicis versantes seponimus; de iis nunc dicam, quæ lumine Rationis eliciuntur; Dic homo; ita enim quemvis alloqui licet; si tibi felicem agere vitam animus est, quid tibi est faciendum? Absque mora mihi respondebis; id mihi agendum, ut summi Boni, cujus quidem homo in *hac vita* est capax, particeps fiam; Bene; At quodnam est illud? Constat ex generali notione; illud a nobis Bonum dici, quod statum nostrum perfectiorem reddit, aut, si confuse tantum ratiocinari velis, illud vocamus Bonum, ex quo voluptatem capimus, sed innocuam, quæ neque in tædium degenerat, neque etiam tædium parit: Talem vero voluptatem non capies, nisi ex sensu perfectionis; adeoque illud est bonum, quod statum nostrum perfectiorem reddit; Constat vero, hominem summæ Beatitudinis capacem minime esse, sed continuo ad majorem progredi posse perfectionem; Quod si itaque progrediatur continuo ad majores perfectiones, nonne illud erit maximum, quod quidem in hac vita homini conceditur, bonum? Ita quidem existimo; Sed monstra hic mihi viam, qua ad illud

pertingere possim. Lex est naturæ; hanc si observabis, & summum assequeris bonum; Lege enim naturæ obligamur ad omnia ea facienda, quæ nos, statumque nostrum perfectiorem reddunt, atque ea omnia omittenda, quæ nos & statum imperfectiorem faciunt; Quod si igitur sequeris in actionibus tuis ducem Legem Naturæ, illamque continuo observare studeas, sane continuo ad majores progredieris Perfectiones; adeoque summum Bonum Legis Naturæ observatione acquires: Si hoc evidentius perspicere velis, considera tantum, quanta inde homo perfundatur voluptate; Conscius sibi enim erit eo in statu homo Virtutum moralium, quas habet; & incrementorum, quæ quotidie in illis capit; Conscius sibi erit Virtutum Intellectualium, & incrementorum, quæ in illis capit; Conscius sibi erit facultatum corporis, Vigoris; Sanitatis; Habituum, &c.; Et denique sibi etiam erit conscius Status sui externi; Facultatum; Opum; Amicorum &c. Hinc vero, non potest non, quin homo quotidie summa semper perfundatur voluptate; Et quotiescunque occasio ipsi sese offerat Virtutem aliquam exercendi, cum Habitum hujus Virtutis animæ suæ atque corpori inesse videt, eum quoque non sine summa cum voluptate ad actum perducit; Patet adeo, hic summum Bonum & esse perenne, & perenni conjunctum cum voluptate; Hic ergo redeo ad te homo; & denuo ex te quæro; Quid tibi est faciendum, ut feliciter vivas? quid ni dices; Lex naturæ est observanda; Imo vero; sed vides hic eadem opera, quantum intersit homini, ut vere de ista propositione sit convictus; Nisi enim vere
 de

de ista propositione convictus fuerit, neque etiam observationi Juris Naturæ operam dabit, quod si autem Juri Naturæ non studeat, neque etiam summi Boni erit particeps, quod si summi Boni non est particeps, neque etiam in hac vita feliciter vivere poterit; Adeoque omnis in hac vita hominis felicitas ab ista convictione pendet, ut homo vere convictus sit, Legis Naturæ observatione summum acquiri bonum naturæ viribus obtentu possibile; At quomodo convincetur? Hic sane necesse est, ut ejus Assensus sensim sensimque crescat, ut primo Definitionibus; postea Axiomatibus, inde Propositionibus - & porro, ulterioribus assentiatur propositionibus; necesse est, ut distincte agnoscat, qua ratione Assensus sibi successive nascatur; Ita enim certus esse poterit de rei veritate, vereque convictus; Atque ita ex his, quæ ex multis aliis, exempli loco proferre statueram, patet, quantum omnino intersit Generi humano, ut hæc de Assensus Genesi Doctrina distincte percipiatur. Exerit autem sese utilitas hujus doctrinæ porro in multis aliis; quod si mihi hic animus esset omnia illa recensendi, quæ utilia ex hujus doctrinæ cognitione consequuntur; integer profecto mihi conscribendus esset Liber; At, cum mihi non ultra limites Dissertationiunculæ excurrendum sit; brevibus tantum perstringam, quæ mihi ad hanc facere rem potissimum videbuntur.

§. XXIX. *Successiva Assensus generatio docet, qua ratione veritates in Systema redigi debeant; Nascitur enim successive Assensus, si ex principiis, hoc est, Definitionibus; Axiomatibus; Experimentiis indubitatis deducantur propositiones: quibus*

bus tum demum assentimur, si prioribus assensi fuerimus §. 23. Cum vero congeries veritatum inter se connexarum cum principiis suis vocetur Systema §. 889. Log. Patet etiam successivam Assensus Genesin Systema requirere.

Apparet vero inde utilitas Systematum veri nominis, cum enim in illis ea præmittantur, per quæ sequentia intelligi debent, nilque assumatur, quod non certis & fixis positum sit fundamentis, quæso, quid tibi magis est optandum? Fit hac ratione, ut tibi in lectione nil obscuri evadat; Fit, ut nunquam non de mente authoris recte intellecta certus esse possis; E contrario vero in libris non Systematicis, quot non hiatus ibi? Quam sæpe ea in sequentibus demum ponuntur, per quæ tamen antecedentia intelligenda atque explicanda sunt? Et, ut verum fatear, unde est, quod bonis litteris operam navantes tanta in illis experiantur tædia? Unde hoc, quod illis omnia aspera, incognita, inexplicabilibusque nodis contorta appareant? Nulla sane hic ratio subest, quam quod legant & audiant, quæ non intelligunt; quod propositiones memoriæ mandent, quarum veritatem non introspiciunt; Et denique, quod terminis utantur nondum familiaribus & cognitis, atque ad significatum fixum & determinatum a vago nondum reductis. Constat vero, quod omnis ille, qui solidam rerum cognitionem acquirere studet, nil nisi sufficienter probatum assumere debeat; Quod si autem nil precarium ipsi erit assumendum, sed omnia summo cum rigore examinanda atque demonstranda, quid mirum, si confusas notiones summo cum studio sit evitaturus; Atque adeo elucet hic, quod *Vir Illustris WOLFIUS* in *Horis*, quas vocat *subsecivis*, *Trimestris vernalis Dissertatione Tertia*, de *successiva Assensus generatione*; pro eo, quo inter omnes eminent Mentis acumine, rerumque Scientia, fuse satis explicat, studiorum tractationem non esse indifferentem; Quod si enim

enim nihil confuse addiscere velis, si rerum omnium distinctam, quantum quidem datur, notionem habere studeas, non tibi erit perinde, quo ordine res addiscas, sed illa prius, a quorum evidentia sequentia pendent, addiscenda erunt; Et quis non videt? ut ad Systemata revertar, quam illorum Assensus vacillet, qui non Systematicam habent lectionem, modo hæc, modo alia defendunt, prout rationibus extrinsecis ad hoc vel illud ducuntur; Quod si autem Disciplinas Systematice tractarent, adeoque ea prius addicerent, quæ in subsequentiis tanquam nota & perspecta supponuntur, statim quoque dignoscere possent, quid veri alicui rei subfit, an certum sit, an incertum, an probabile tantum, vel an plane sit falsum: atque hac de causa immortales *Magno Viro Christ. WOLFIO* habendæ sunt gratiæ, quod genus humanum ex illis fluctuationibus eripere, certitudinemque in Disciplinas invehere, nunquam satis suspiciundo conatu aggressus fuerit, quod si Deus ipsi vires vitamque, quod omnes quibus bonæ litteræ cordi sunt, ferventissimis a Deo efflagitabant precibus, concessurus est, efficiet ille, ut tota Philosophia, cujus jam Logicam, Ontologiam, atque Cosmologiam habemus, latino idiomate, demonstrativa pertractata methodo, comparet; excitabunturque illius præclaro exemplo, quod jam factum esse videmus, & alii Viri Virtute & Eruditione præstantes, ut simile quid in facultatibus, quas vocant superioribus, moliantur; hacque ratione, quid certum in illis, quid incertum, quid probabile, quid falsum, sedulo distinguant.

§. XXX. *Successiva Assensus generatio docet, non omnium dijudicationem esse in potestate nostra.* Cum assensus noster successive nascatur §. 37. etiam propositionibus consequentibus prius Assensum dare non licet, quam illum antecedentibus dederimus §. 26. Quod si consequentibus
assen.

assentiri non potes propositionibus, antequam priores perspectas habeas; sequitur inde, de sequentibus iudicium a nobis ferri non posse, nisi priores perspectas habeamus: adeoque ex successiva Assensus generatione patet, non omnium dijudicationem in nostra positam esse potestate:

Non opus hic esse existimo, ut de præclaro, quem nobis ista de Genesi Assensus doctrina præstat usu, multis dicam; Cum enim agnosco, non omnia in mea posita esse potestate, ut de illis dextre iudicare queam, vitium hominibus admodum frequens, *Nimiæ*, quod dicitur, *Confidentiae*, evito, quo plus de facultatibus meis spero ac revera præstare possunt; Nam, cum cognoscam, mihi de re proposita ob defectum principiorum iudicium non esse ferendum, multo minus opus aggrediar humeris meis impar. Habeo hac ratione vires meas omnes in promptu; Scio, quid valeant humeri, quid ferre recusent: Illi vero, quibus *Intellectus* non est *Systematicus*, id est, qui veritates non inter se connexas addidicerunt, sed unam quamque seorsim, quasi cum cæteris nil commune habentem, considerant, facillime hoc *Nimiæ* *Confidentiae* vitio involvuntur; Cum enim propositiones tantum dispersas cognoscant, neque etiam scire poterunt, an non sumantur ad eam probandam principia incerta; Aut si hoc, quod tamen vix fieri poterit, sciant, nondum tamen plane de veritate propositionum convicti esse poterunt, quippe cum distinctam Genesi Assensus doctrinam non capiant, neque etiam analysin Propositionum in alias priores, & Axiomata, Experientias indubitatas, atque Definitiones instituere poterunt; Cum igitur jam Assensus iste continuo fluctuet, illique veritatem nonnisi casu attingant, facile quoque evenire poterit, ut certa pro incertis, & incerta pro certis amplectantur; Quod si vero incerta pro certis amplectuntur, nonne vides, plus deinde illos de viribus suis sperare posse, ac postea præstare pote-

poterunt; Et quid? Nonne ex his ulterius deinde sequitur, quod ille, qui distincte Assensus Genesin cognoscit, etiam præcocem evitaturus sit aliorum impugnationem? Contigit sane subinde, ut plurimi, eum non habeant unde inclarescant, id sibi ad consequendam nominis celebritatem faciendum esse existiment, ut Viros Eruditione atque doctrina præstantes convitiis proscindant, doctrinamque eorum impugnent; nilque non agant, quo famæ illorum maculam inurere possint; Hac enim ratione futurum miseri sibi persuadent, ut brevi tempore Ipsi Nominis celebritate totum orbem impleant, neminemque non cogniturum, quod ipsi sint, qui cum Magno illo Viro congregari nulli dubitaverint, paria ergo ipsis debere esse arma, utrumque Eruditione eminere insigniter: Quod si vero istud hominum genus cognosceret, quam successive Assensus generetur, & quam multa sint necessaria, antequam rei cujusdam vere convictus esse possis, utique sibi ab isto alios impugnandi pruritu temperaret; Quid enim? Si distincte Assensus Genesin intuearis, lento hic videbis progrediendum esse gradu; Definitiones, Propositionesque illis respondentes, cum axiomatibus altas primo in Mente radices agere debere, antequam sensum claritatis & certitudinis cum iis conjungere possis; Atque hæc est causa, quod, si quædam in Scriptis, Eruditione, Acumine, & Scientia præstantium Virorum, quæ tibi ridicula atque paradoxa videntur, deprehendas, non illico statim cum Poëta: Gerræ ficulæ atque ædepol lyræ lyræ! tibi sit exclamandum; quin potius animo tuo firmiter persuadebis, Virum alterum Acumine præ Te longe eminere; Cogitabis tecum, nil nisi diuturna lectione acquiri; adeoque, quod ista tibi videantur paradoxa, tibi potius imputabis, quam aliis.

§. XXXI. *Successiva Assensus generatio docet, non cuique omnia demonstrari, aut quemvis rei cuius-
cunque*

cunque convinci posse. Cum enim Demonstratio continua sit series Syllogismorum inter se concatenatorum §. 551. Log. Principiis autem, quibus utimur, prius Assensus sit præbendus, quam demonstrationi ipsi §. 23. fieri vero non possit, ut unusquisque hominum principia omnia haberet perspecta, eademque familiaria experiatur; manifestum est, non unicuique omnia posse demonstrari; *quod erat unum.*

Quoniam ad alterum convincendum demonstratio, producta retro Analyfi Principiorum, eo usque est continuanda, donec in Syllogismis pervenias ad Præmissas alteri certas: Vel, si prorsus est hospes in iis, ad Definitiones, Axiomata, & Experientias indubitatas, §. 991. Log. Hinc etiam sequitur, quod Definitionibus, Axiomatibus, Experientiis indubitatis, &c. prius assentiri debeat, antequam Assensus in consequentibus generari possit. §. 29. & 30. Manifestum itaque est, successivam Assensus generationem docere; non quemvis rei cujuscunque convinci posse; *quod erat alterum.*

Testantur hoc abunde exempla; Quomodo enim convinces, Cosmologiæ ac Mechanicæ ignarum, quod *summa impetuum in duobus corporibus ante & post conflictum sit eadem*; Quomodo convinces Mathematices imperitum, *figuram Solis non esse omni ex parte Sphæricam*; Ille profecto, qui convincendus est, non tantum principia nosse debet, ex quibus veritas investiganda eruitur, sed & formam demonstrationis probe perspectam habere; Quod si unum horum deficit, omnem operam in illo convincendo frustra consumas. Eandem enim hic dico legem obtinere, quam Philosophus nostri ævi primus CHRIST. WOLFIUS
de

de æstimandis alterius viribus, ad verum tum inven-
niendum, tum dijudicandum, requisitis in opere Lo-
gico Latino dederat; Ibi vero multis demonstrat, quod
ille, qui de propositione demonstrata judicare velit,
non tantum demonstrationis, tam Ostensivæ, quam
Apagogicæ formam distincte animo comprehendere,
sed & ipsi principia demonstrationem ingredientia cer-
ta esse debeant §. 1149. Log.

§. XXXII. *Affensus* dicitur *certus*, quando
nobis conscii sumus, eum niti ratione ad assen-
tiendum sufficiente.

§. XXXIII. *Probabilis* dicitur *Affensus*, quan-
do novimus, eum niti ratione tantummodo pro-
babili.

§. XXXIV. *Affensus*, qui nascitur ex demon-
strationibus, quarum Præmissæ sunt Definitiones, Axi-
omata, & Experimentiæ indubitatae, est certus. Si enim
Affensus nascitur ex demonstratione, cujus Præ-
missæ sunt Definitiones, Axiomata, & Experi-
entiæ indubitatae; ideo assentiris: quod principia
ista singula admittenda esse agnoscis §. 17. & seq.
& legitime ex iis concludi, quæ inde inferuntur,
perspicis §. 551, & seq. Log. Agnoscis ita-
que, te assentiri ob rationem sufficientem, cum
vi, qua ad Assensum compelleris, resistere non
possis §. 569. Log. Assensus itaque certus est
§. 32.

§. XXXV. *Affensus*, qui nascitur in demonstra-
tionibus, quarum Præmissæ sunt Propositiones jam an-
tea demonstratae, est certus. Propositionibus, quæ
demonstrantur, ex propositionibus jam antea de-
monstratis, assentimur §. 23. Ut adeo eas tan-
quam veras admittendas esse agnoscamus; Quam-

obrem eodem quo paragrapho præcedenti modo, & hic probatur, Assensum in hoc casu esse certum.

§. XXXVI. *Assensus, qui nascitur ex probatione, cujus Præmissæ sunt principia probabilia, est probabilis.* Probationi, cujus Præmissæ sunt principia probabilia, assentimur tanquam probabili §. 24. adeoque eadem non admittimus; nisi ut probabilia; Quoniam igitur per Syllogismorum concatenationem; quorum vel unum ingreditur Præmissa aliqua probabilis; non infertur nisi Conclusio probabilis §. 586. Log. Eidem quoque tanquam probabili nos assentiri cognoscimus; Consequenter Assensus nonnisi probabilis est §. 33.

§. XXXVII. *Assensus certus in iis, quæ probatione indigent, successive nasci debet.* Quoniam Probatio omnis, vel Demonstratio est, vel Probatio probabilis; Ex hac autem Assensus tantummodo probabilis nascitur §. 36. Ex demonstratione vero certus §. 34. & 35. Omnis Assensus certus in iis, quæ probatione indigent, ex Demonstratione nasci debet; Consequenter ex Assensu, quem antea jam nos præbuisse meminimus Definitionibus, Axiomatibus, Experimentiis indubitatis, & Propositionibus jam antea demonstratis. §. 569. Log. Certus igitur Assensus, in iis, quæ probatione indigent, successive nasci debet.

§. XXXVIII. *Assensus certus in iis, quæ probatione indigent, ex Systematica pertractatione nasci debet.* Nascitur enim successive §. 37. atque adeo quæ inserviunt propositioni alicui demonstrandæ, tanquam principia, ante proponenda sunt, ut
certus

certus inde nascatur Assensus §. 34. & 35. Quoniam igitur, in Systematica pertractatione, ea continuo præmittuntur, quæ sequentibus intelligendis & demonstrandis inserviunt; ex Systematica pertractatione Assensus certus gignitur;

§. XXXIX. *Si rationes Intrinsecæ ad convincendum desunt, circumstantiæ autem postulant, ut quid vel affirmemus, vel negemus, Assensus pendet a voluntate, sive appetitu.* Quoniam enim rationes intrinsecæ ad convincendum desunt *per hypothesein*, Assensus per easdem nasci non potest; Quoniam tamen circumstantiæ postulant, ut quid vel affirmemus vel negemus, sine ratione autem sufficiente nil quicquam esse §. 70. Ontol. adeoque nec Assensus gigni possit; ad rationes extrinsecas necessario confugiendum: Jam cum rationes extrinsecæ aliunde, quam ex notione subjecti desumantur §. 1004. Log. Facile illud pro vero habemus, vel sumimus tanquam verum, quod volumus esse verum, non vero contradictionis partem alteram amplectimur, quam veram non esse malimus. Quare cum hic appetitus influat in Assensum a voluntate est pendulus, sive appetitu. §. 6.

§. XL. *Qui confuse aliquid cognoscit, nec a posteriori veritatis ejus convincitur, ejus Assensus pendet a voluntate.* Qui enim confuse aliquid cognoscit, is prædicatum subjecto tribuere nequit, nisi ob rationes extrinsecas, §. 1007. Log. Consequenter ex notione subjecti non desumtas. §. 1004. Log. Quoniam igitur, nec a posteriori veritatis convincitur: *per hypothesein*; nec extrinsecæ rationes sufficientes ad certum Assensum adsunt. Enimvero, cum sine ratione sufficiente

assentiri non possis. §. 70. Ontol. Intellectui suppetias fert Appetitus, ut determinetur; Est igitur Assensus ab appetitu pendulus §. 6.

Pendet subinde Assensus remote ab appetitu; quatenus nititur principiis, quæ facta Assensus analysi, tandem reducuntur ad talia, ubi immediate Assensus ab appetitu pendet.

§. XLI. *Omnis ille, cujus Assensus a voluntate dependet, aut temerarius est, aut rudis, sive Acumine deficiens.* Quoniam enim Assensus ab appetitu dependet; per *hypothesein*; rationibus aliunde, quam a notione subjecti petitis, utitur: Consequenter, nullam subjecti distinctam notionem habet; Est igitur adhuc rudis, & quia assentitur, antequam assentiri debebat; §. 1009. Log. Acumine deficit §. 850. Metaph. *quod erat unum.*

Qui Assensum habet ab Appetitu pendulum, is assentitur, ubi destituitur rationibus ad Assensum certum sufficientibus, sive intrinsecis, sive extrinsecis; Quare, cum Temerarius appelletur, qui facit, ad quod faciendum non aderat ratio: ab appetitu pendulum, qui habet, Assensum; Temerarius est. *Quod erat alterum.*

§. XLII. *Quo quis est rudior, eo magis Assensum habet ab appetitu pendulum.* Etenim, quo quis est Rudior, eo minori pollet Acumine; Quo vero minori pollet Acumine; eo minus etiam distincte res sibi potest repræsentare §. 850. Metaph. Quo minus distincte autem res sibi poterit repræsentare; eo confusius illas percipiet; Adeoque eo magis Assensum habebit ab Appetitu pendulum. §. 40.

§. XLIII.

§. XLIII. *Affensus, qui oritur ab Affectibus, est ab Appetitu pendulus.* Affectus enim sunt Appetitus fortiores, vel etiam Aversationes fortiores §. 439. Metaph. Quare, si Affensus ab Affectu oritur, ab Appetitu pendulus est.

§. XLIV. Possent jam, si id opus esse existimarem, idem de singulis Affectuum speciebus demonstrari. Illi quibus Psychologiæ principia perspecta sunt, tres norunt in Anima nostra oriri Affectuum species; Aut enim Affectus sunt grati, aut ingrati, aut denique mixti; hoc est, ex pluribus aliis, sive gratis, sive ingratiss, compositi. Age igitur, ostendamus paucis Affensum, qui oritur ab affectibus gratis, ab Appetitu esse pendulum: Sit nobis Exemplo Discipulus quidam; Audit ille Præceptorem suum, quem summopere amat, plurima quotidie docentem; ponamus ipsi a præceptore quædam proponi, quorum veritatem ob defectum Acuminis, aut Scientiæ nequeat perspicere; Cum tamen præceptorem suum summo prosequatur amore, illa itidem pro veris habebit; Affensumque illis dabit; Hujusmodi vero Affensus, cum Amor erga Præceptorem eum excitaverit, dico, quod pendeat ab Appetitu; Quare? Ratio redditur facillime; Discipulus intense amat præceptorem suum; Qui vero alterum amat; ex ejus felicitate voluptatem haurit; adeoque etiam alterius felicitati summopere studet; Jam vero Discipulus Præceptorem suum amans, & ex Præceptoris felicitate voluptatem capiet; adeoque quocunque modo Præceptori suo bene esse cupit; Quod si Præceptori suo bene esse cupiat, sane & omnia illa, quæ profert, cum ve-

ritate consentanea esse optabit ; Quod si optat, ut ea , quæ sibi jam Præceptor proponit , sint vera ; etiam ejus Assensus dependet ab appetitu ; Adeoque Assensus iste , qui ab amore oritur , est ab appetitu pendulus : Idem de ceteris affectibus gratis demonstrari posset. Sed videamus porro , num non & ille Assensus , qui ab Affectibus ingratis proficiscitur , sit ab Appetitu pendulus ? Invidia est tædium , quod percipitur propter alterius felicitatem ; Ille ergo , qui alteri invidet , si ei malum quoddam obvenisse audiverit , illud verum esse sibi persuadebit. Hujus vero Assensus jam etiam dependet ab Appetitu ; Qui enim alteri invidet , tædium percipit ob alterius felicitatem ; Qui vero tædio ob alterius felicitatem afficitur , alteri etiam , ut male sit , vehementer optabit ; Qui vehementer optat , ut alteri male sit , etiam illud , quod alteri contigisse malum fama acceperat , pro vero habebit ; Qui vero illud pro vero habet , quod quisquam maxime optat , ejus Assensus pendet ab Appetitu ; Adeoque illius Assensus , qui ab invidia ducitur , ab appetitu dependet ; Denique dico , & illos Assensus , qui ab Affectibus mixtis oriuntur , esse ab Appetitu pendulos. Sit nobis Exemplo , homo Zelotypus ; Constat Zelotypiam ex variis compositam esse affectibus , oritur enim tum ex amore objecti alicujus , tum ex odio & invidia erga alterum , cum quo æmulator &c. Jam vero dico , quod omnis Assensus , qui a Zelotypia proficiscitur , sit ab appetitu pendulus ; Quod si enim sit Maritus Zelotes , qui uxorem suam cum altero concumbere audiat , nonne existimas illum veloci passu domum

mum repetiturum? Quare? Maritus iste supponitur a me Zelotypus, adeoque alterius odio, cum quo æmulatur, flagrat, quod si alterius odio flagrat, uti ex infelicitate ipsius voluptatem, ita vice versa, ex felicitate alterius dolorem accipit; cum vero illa prohibere studeamus, quæ nobis dolorem incutiunt, etiam ille, qui alterum odit, alterius felicitatem prohibere annitetur; Cum vero felicitatem haud minimam reputet, cum uxorcula concumbere, omnibus nervis in id incumbet, ut impediatur, ne alter hac felicitate potiatur; Quod, cum omni studio illud prohibere velit, etiam quicquid ipsi ad aurem pertingit, quod alter jam occasionem nactus sit cum uxore concumbendi, verum habebit, atque illud prohibere conabitur, adeoque ejus Assensus est ab Appetitu pendulus.

§, XLV. *Omnis Assensus, qui ab Appetitu est pendulus, oritur ab Affectibus, Imaginatione & Sensibus.* Si enim Assensus ab appetitu pendulus est, aut assentimur propter rationem prorsus nullam, aut propter tales, quæ Assensum extorquere nequeunt, si vel maxime ad eas respiciamus; In casu priori, Affectu aliquo impulsus, velle debemus, ut hoc sit verum, cum adesse debeat, quod impedit attentionem, quo minus videamus Assensum esse suspendendum; Atque adeo Assensus ab Affectu pendet; Quod si rationes fuerint tales, quæ Assensum extorquere nequeunt, si vel maxime ad eas respiciamus, in notis confusis acquiescere debemus, quæ vel sensu hausimus, vel compositioni, aut divisioni olim perceptorum, ab Imaginatione factæ, debentur §. 272. Metaph. In hoc igitur casu appetitus ab Ima-

ginatione & Sensu ortum trahit. Patet igitur Assensum ab appetitu pendulum, ab Affectibus, Imaginatione, & Sensibus ortum trahere.

§. XLVI. *Omnis ille, qui habet Assensum a voluptate pendulum, est in statu servitutis.* Quia Assensus a voluntate pendulus oritur ab Affectibus, Imaginatione, & Sensibus §. 45. Illi autem, qui reguntur ab Affectibus, Imaginatione, & Sensibus, dicantur Servi §. 491. Metaph. Omnis etiam ille, qui habet Assensum a voluntate pendulum, est in statu servitutis.

§. XLVII. Elucet vero, ex modo demonstratis, quantum referat homini, ut habeat Assensum non ab appetitu pendulum, sed ab Intellectu & Ratione sana proficiscentem; Quantum enim interest hominis in Moralibus, ut sit in statu dominii, quam in statu servitutis; tantum etiam interesse debet ei, ut Assensus ejus non sit ab appetitu pendulus. Videamus autem, quinam sit ejus status, qui in statu servitutis est; In statu servitutis ille dicitur esse, qui sibi sensus, imaginationem, & affectus dominari patitur; In statu dominii vero, qui facultatem habet impedimenta ista vitæ honestæ removendi; Jam vero facile ejus tibi repræsentabis statum, qui affectibus, sensibus atque imaginationi est subjectus. Ille enim cum sanam rationem audire nequeat, abripitur ab illis in transversum, judiciumque ejus de actionum moralitate perversum evadit; Vis audire, qui id fiat? Id quidem jam fuse explicare non hujus est loci; Interim tamen præcipua hic proferam; Et primo, ut de sensibus prius loquar, ita illi sunt comparati, ut nobis in rebus quamvis nocuis voluptatem quandam

dam exhibeant; Jam vero omne illud, quod nobis voluptatem exhibet, ceu bonum nobis repræsentamus, adeoque, cum sensus nobis ex rebus nocuis voluptatem pariant, eas etiam tanquam bonas nobis repræsentamus; Qui vero sibi aliquid tanquam bonum repræsentat, ille ad illud amplectendum a natura sua determinatur; sensusque adeo nos ad rem nocuam amplectendam abripiunt; Et quid? Nonne major voluptas appetitum fortius movet, quam minor? Nonne vero homines illud majus esse bonum autumant, quod majorem exhibet voluptatem, quam quod minorem? At vide hic denuo, quantum intersit hominis, ne sibi sensus dominari patiatur; Cum homo sensibus subjectus actionem per se honestam considerat, non potest non, quin aliquam exinde hauriat voluptatem; Cum vero actionem contrariam ad sensus refert, voluptas illa, quæ ex contraria actione percipitur, ipsi major apparet; hacque ratione miser ad mala abripitur; Nec hoc tantum; Qui actionem per se honestam patrare vult, ille animum ad dicta & argumenta sanæ rationis summa cum adhibeat attentione; At sensus perturbant istam attentionem, multaque alia in mentem nostram inducunt; hacque ratione denuo efficiunt, ut ad sanæ rationis argumenta, minus attenti, id quod malum est, facere non vereamur.

§. XLVIII. Quod, si idem mihi de Imaginatione demonstrandum esset; id quidem sequenti facerem ratione. Imaginatio est facultas mentis reproducendi ideas objecti absentis; Neque tantum Imaginatio ad olim perspecta tendit; Sed vires quoque suas circa alia, quæ sensu nondum percepit, exercet. Jam vero, cum objectum

Rr 5

quod-

quoddam a sensibus nobis repræsentatur ; Imaginatio non tantum illam voluptatem nobis repræsentat , quæ ex illo objecto in nos antehac redundabat , sed & omnem illam , quæ fortuito cum objecto illo aliis de causis conjuncta erat ; Hæc vero repræsentatio cum confusa tantum sit ; neque adeo , unde omnis illa voluptas , quæ hic repræsentatur , oriatur , distincte discernere possimus ; Eandem quasi ab unico isto objecto provenientes existimemus. Quod , si itaque ab unico objecto tantam oriri voluptatem nobis persuademus ; sane ad illud amplectendum ferimur ; Adeoque , si illud sit malum , ad malum amplectendum præcipites trahimur.

§. XLIX. Restant Affectus : Demonstravimus in superioribus ; quod Assensus , qui ab Affectibus proficiscitur , sit a voluntate pendulus ; Videamus vero etiam , qui fiat , ut Affectus nos in transversum agant : Affectus est appetitus vel averfatio vehementior sensitiva , cum extraordinaria commotione sanguinis & fluidi nervei conjuncta , in Corpore coloris Faciei & Gestuum mutatione manifesta ; Nunc vero , cum vehementiorem ad objectum quoddam adpetitum vel averfationem habeo ; fit inde , ut ab isto appetitu vel averfatione abripiar , ut non tantum sanam rationem non audiam ; sed & illud peragam , quod mihi primo obtutu , prouti affectus suadet , bonum videtur ; At , cum illa peragimus , quæ mihi primo obtutu , absque ulla deliberatione bona videntur ; facile ad devia delabor ; adeoque Affectus homines ad devia deducunt.

§. L. Cum itaque ; ut in pauca modo dicta contraham , ea Hominis in statu Servitutis sit conditio ;

ditio ; ut sanam rationem audire nequeat ; Et ab impetu Sensuum , Imaginationis , atque Affectuum in transversum abreptus iudicium de Moralitate Actionis adæquatum ferre non sustineat : Ille vero , qui de moralitate actionis iudicium adæquatum ferre nequit , bonum apparens , sive quod noxium est , & minus durabile , pro vero amplectatur ; Ille vero , qui bonum apparens pro vero amplectitur , etiam felix fieri non possit ; sequitur inde ; quod ille , qui in statu est Servitutis , felix fieri non possit , At , secus se res habet cum illo , qui dominium in Sensus , Imaginationem , & Affectus exercet , cum enim ipsi modo enarrata nulli sint impedimento , sed obstaculum , quod forte ponunt , nullo tollere possit negotio ; etiam attentionem suam circa omnia servare , intrinsecamque actionum honestatem , vel turpitudinem introspicere ipsi est facillimum : Quod si vero attentionem suam conservans intrinsecam actionum honestatem vel turpitudinem introspiciat ; neque etiam bonum apparens pro vero amplectetur ; Quod si bonum apparens pro vero non amplectitur , neque etiam infelix evadit ; atque adeo ea intercedit differentia inter statum servitutis atque dominii , quæ est inter felicitatem & infelicitatem ; Nunc autem , cum hominis multum intersit , num felix sit vel infelix , & ille sit infelix , qui in statu est servitutis , qui Assensum habet ab appetitu pendulum , etiam merito homini multum in eo positum esse debet , ut non habeat Assensum ab appetitu pendulum : Sed age , demonstramus jam , non tantum noxium esse in moralibus , ut in determinationem Assensus influat Appetitus , sed & vitia inde originem trahere ;

& tum

& tum quidem res extra omnem controversiam erit posita.

§. LI. *Si appetitus influit in determinationem Assensus, illud noxium est in moralibus.* Quia Assensus, in cuius determinationem influit appetitus, oritur a Sensibus, Imaginatione, & Affectibus §. 45; Sensus vero, Imaginatio & Affectus Juris Naturæ observationem, perducendo ad judicia falsa, & attentionem nostram impediendo §. 47. 48. 49. impediunt; Sequitur, quod Assensus, in cuius determinationem influit appetitus, sit noxius in moralibus.

§. LII. *Vitia originem suam trahunt ab Assensu ab appetitu pendulo.* Quia vitia sunt habitus contra legem Naturæ §. 64. Phil. Mor. In se malum appetit, qui ex vitio agit §. 19. Phil. Moral. Quoniam itaque malum appetit sub ratione boni §. 507. Metaph. bonum a malo discreturus in notionibus confusis acquiescit §. 432. Metaph. Atque ita pro vero habet, in quod stimulatur appetitus, voluptate sensuali; vel a quo retrahitur tædio aliquo apparente. Assensus itaque ex vitio agentis ab appetitu est pendulus §. 6.

§. LIII. *Assensus ab appetitu pendulus summam hominis felicitatem impedit, & in summam miseriam facile præcipitem dat.* Qui habet Assensum ab appetitu pendulum, est in statu servitutis §. 46. Servitus autem est impedimentum summæ hominis felicitatis §. 47. 48. 49. & 50.; Ergo Assensus ab appetitu pendulus, impedit summam hominis felicitatem. *Quod erat unum.*

Qui Assensum ab appetitu pendulum habet, hic in dijudicando bono & malo sensuum iudicio stare

flare debet, adeoque facile bonum apparens præfert vero §. 432. Metaph. Consequenter in vitiis incidit §. 9. 64. Moral. & hinc sese in summam miseriam præcipitem dare potest §. 70. Moral. *Quod erat alterum.*

§. LIV. Cum igitur iste hominis status, quo homo ab affectibus abreptus vitiis sese inquinat, summaque adeo afficitur miseria, sit infelicissimus; Et ille qui Assensum ab appetitu pendulum habet in eo sit statu, cur non omnes homo intenderet nervos, ut Assensum ab Appetitu pendulum evitaret? Cum autem ea sit Assensus ab appetitu penduli conditio, ut & perspicacissimos aliquando circumveniat, illorumque Assensus sæpius ab appetitu pendeat, qui quam longissime remoti sibi esse persuadent, non inanem me consumpturum esse operam existimo, si prius quam dissertatiunculæ isti finem imponam, paucis de modo, quo Assensus iste ab appetitu pendulus præcaveri possit, agam.

§. LV. *Si operam damus cognitioni rerum distinctæ, Assensus ab appetitu pendulus præcavetur.* Assensus, quem præbemus rerum cognitioni distinctæ, pendet ab Intellectu §. 277. Metaph. Ergo si studeamus rerum cognitioni distinctæ, Assensus ab appetitu pendulus præcavetur §. 6.

§. LVI. *Si studeamus rationibus intrinsecis, Assensus ab appetitu pendulus præcavetur.* Quia rationes intrinsecæ sunt eædem, ob quas prædicatum subjecto convenit §. 1005. Log. Hinc qui studet rationibus intrinsecis, colligit ex notione subjecti prædicatum subjecto convenire, adeoque qui studet rationibus intrinsecis, assentitur vi demonstrationis, §. 549. Log. Assensus autem

tem vi demonstrationis exortus , tantum locum habet in Intellectu §. 849. Metaph. Ergo si studeamus rationibus intrinsecis , Assensus ab appetitu pendulus præcavetur.

§. LVII. *Si Affectus deprimuntur , Assensus a voluntate pendulus præcavetur.* Quia affectus est gradus vehemens appetitus sensitivi , sive averfationis sensitivæ §. 539. Metaph. Appetitus autem sensitivus oritur ex repræsentatione confusa boni , & averfatio sensitiva ex repræsentatione confusa mali §. 434. 436. Metaph. hinc notionem alicujus subjecti nonnisi confusam habere possumus ; Adeoque eidem prædicatum tribuere nequimus nisi ob rationes extrinsecas §. 1007. Log. Quia vero Affectus non deprimuntur , nisi studeamus rerum cognitioni distinctæ , & nos a servitute liberemus §. 186. Phil. Moral. Hinc Assensus a voluntate pendulus præcavetur , si supprimantur affectus §. 55. Idem & hac ratione demonstrari potest : Ille Assensus , qui ab affectibus oritur , est ab appetitu pendulus §. 43. Jam vero , cessante causa , & effectus , qui propter illam causam est , cessat ; Sequitur igitur , quod suppressis affectibus , & Assensus ab appetitu pendulus cesset.

§. LVIII. Quod si jam quæras , quid tibi sit faciendum , ut affectus suppressere possis , eos quidem salva manente hominis natura omni ex parte suppressi & plane eradicari posse , non existimo ; Interim tamen eorum impetus sedari compescique posse *Illustris* docet *Wolffius* in Philosophia Morali. Est nempe cum affectum , a quo raperis , suppressere velis , tibi res ad notiones distinctas vocanda ; Cum enim Affectus ex confusa repræsentatione boni & mali orientur , atque
in

in Ontologicis illud sit Axioma ; *posito principio ponitur etiam principiatur* , aut si mavis , *posita causa & effectus ponitur* , qui a causa illa dependet ; Affectus etiam tam diu in te manebit , quamdiu confusa ista boni vel mali repræsentatio ; Nunc autem , si confusam hanc boni vel mali repræsentationem tollas , tunc cessat etiam causa affectus ; adeoque & ipse desinet Affectus. Posset vero , si opus esset & a priori ratio dari , cur distincta rei repræsentatione affectus successive cesset ; Hæc vero , cum non hujus sint loci , proferre supersedeo.

§. LIX. *Ut Assensus ab appetitu pendulus præcaveatur , sensuum in discernendo bono a malo iudicium sequi non debemus.* Qui enim sensuum in discernendo bono a malo iudicium non sequitur , is sequi debet iudicium Intellectus ; Adeoque studere notionibus distinctis boni & mali §. 277. Metaph. Quare , cum Assensus ab appetitu pendulus præcaveatur ; si cognitioni rerum distinctæ operam damus §. 55. Illum evitaturi in discernendo bono & malo iudicium sensuum sequi non debemus.

§. LX. Est hic scilicet mihi eo annitendum , ut in bono rationalis fiam ; Ille autem dicitur in bono rationalis , qui rationes boni & mali agnoscit ; Eo ergo mihi est studendum , ut rationes boni & mali cognoscam ; Cum enim in bono sum rationalis , voluptates etiam , quas sensus nobis exhibent , utrum veræ sint & innoxie , an vero nocuæ & apparentes , dijudicare potero : Quod si voluptates nocuas ab innocuis dijudicare possum , neque etiam a nocuis abripiar , Assensusque meus ab appetitu pendulus non erit : ad hæc vero mihi opus est Acumine , & aliis virtutibus Intellectualibus , de quibus jam dicturus sum.

§. LXI.

§. LXI. *Ut Assensus ab appetitu pendulus præca-
veatur, Imaginationi per Intellectum est succurrendum.*
Quoniam Intellectu imaginationi succurrente res
distincte cognoscimus §. 277. Metaph. in rebus
vero distincte cognitis Assensus ab appetitu pen-
dulus præcaveatur §. 55. Et Assensus ab appe-
titu pendulus præcavetur, si per Intellectum Ima-
ginationi succurratur.

§. LXII. *Ad præcavendum Assensum ab appetitu
pendulum, opus est, ut Virtutibus Intellectualibus stu-
deamus.* Quoniam enim Virtutes Intellectuales
sunt habitus Intellectus, in cognoscenda veritate,
& cognoscenda falsitate, iis instructus, vera de
rebus judicia ferre potest, atque de iis ex ratio-
nibus intrinsecis statuere valet; id quod virtutes
hasce in *Philosophia Morali Illustris Wolfii* expli-
catas perpendenti satis manifestum est. Enim
vero, qui ex rationibus intrinsecis de rebus judi-
cat, ejus Assensus determinatur per rationes ex
notione subjecti desumptas §. 1004. Log. non
igitur in determinationem Assensus influit appeti-
tus, adeoque is ab eodem pendulus non est §. 6.

§. LXIII. Insunt Animæ nostræ duæ faculta-
tes, *Cognoscitiva, & Appetitiva*, quarum utraque
multas sub se agendi dispositiones complectitur;
quod si jam has dispositiones ad habitum evehas,
tum quidem virtutes, uti dicuntur, Intellectua-
les nascuntur. Ad habitum vero cum requiratur
frequens actionum earundem repetitio; patet eti-
am certas dari actiones, quæ homini ad Virtu-
tes Intellectuales assequendas sæpius sint repe-
tendæ. Cum autem in *Philosophia Morali* de his
actionibus agatur; & quænam ad singulas virtu-
tes Intellectuales assequendas requirantur, ibidem
explicetur, neque etiam nobis dissertatiunculæ limi-
tes excedere constitutum sit, hic filum abrumpimus.